

BOTANISCHES INSTITUT
der k.k. Universität.

J. N°

B

C 75/17

TATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

GRATIOLA OFFICINALI

EIVSQVE PRAESERTIM IN MANIA VSV

QVAM

AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI

P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

CHRISTIANO GOTTHOLD ESCHENBACH

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE, CHEMIAE PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, CONCILII PROFESSORVM, ORDINIS ITEM
MEDICORVM ASSESSORE ETC.

PRO GRADV DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

A. D. XV. SEPTEMBRIS CIOCCCXVIII

P V E L I C E D E F E N D I T

A V C T O R

E R N E S T V S E R H A R D

D R E S D E N S I S

MEDICINAE BACCALAVREVS

L I P S I A E

LITTERIS STARITZII, TYPOGRAPH. VNIVERS.



Л А И Г О Т О А Л С И Г А Р

А С С А И Н И В А С Т А В С К И Й

С О Д О Б У В С К И Й В А С Т А В С К И Й

И М А Г И С Т Р А Л С К И Й

С О Д О Б У В С К И Й В А С Т А В С К И Й

С И А Е В И С С И С Т Е Р О С О Д О Б У В С

И М О В С К И Й В А С Т А В С К И Й

С И А Е В И С С И С Т Е Р О С О Д О Б У В С

И М О В С К И Й В А С Т А В С К И Й

П А С С А И Н И

В А С Т А В С К И Й

С И А Е В И С С И С Т Е Р О С О Д О Б У В С

И М О В С К И Й В А С Т А В С К И Й

С И А Е В И С С И С Т Е Р О С О Д О Б У В С

И М О В С К И Й В А С Т А В С К И Й

V I R O

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

D. IOANNI CHRIST. AVG. CLARO

CONSILIARIO AVLICO, CLINICES P. P. O. DES.^Y INSTITVTI
REGII CLINICI MEDICO PRIMARIO, ORDINIS SAXONICI
CIVIVM DE PATRIA BENE MERITORVM ET ROSSICI
S. VLADIMIR EQVITI ETC.

PRAECEPTORI PIE COLENDO

HOC SPECIMEN ACADEMICVM

D.

AVCTOR

A I G O

D. IOANNI CHRISTI AVG. CLAVO

CONFESSORIS AVGVSTI, ET MILENII
MILLEI QUINTI MILLEI OCTAVI
QVADRAGESTI MILEI
TERTII MILEI VIVI

PRAECEPTORI TIT. CONSULIO

HOC SATELLIMEN ADOLPHEICAM

II

KOTOVA

P R O O E M I V M.

De Gratiola officinali, planta a veteribus medicis in morbis quamplurimis laudata atque praedicata, a recentioribus autem parui aestimata et fere inter obsoleta relata, specimen elaborare, hac scribendi opportunitate oblata, apud animum constitui, ut haberem, super quo cum eruditis viris publice disputare possem.

Occasionem ad hanc materiem eligendam dedit insignis effectus, quem hoc medicamentum in quibusdam morbis administratum exseruit, quemque, ut diligens et a praeindiciis libera obseruatio me docuit, egregii aliquando insecuri sunt eventus.

Haud indignum proinde illud mihi visum est, quod denuo paucis consideraretur et ad tentamina frequentius instituenda medendi artis magistris sedulo commendaretur.

Priusquam autem ad clinica obseruata, quae nuper cum Gratiola in instituto clinico regio sub auspiciis Illustris et Excellentissimi Clari, Patroni ac Praeceptoris pie venerandi, facta sunt, describenda accedam, operae pretium duco, succinctam huius stirpis historiam praemittere, et de viribus medicis, quae illi adscriptae sunt, breuem dare relationem.

Id vero mihi haud sumo, ut noua et plane inaudita de nostro pharmaco proferam, quippe de eius contra maniam et melancholiam efficacia tantum quaedam disserere, eamque ex-

perimentis quibusdam, quae admodum felicem exitum habuerunt, illustrare mihi proposui.

Quo potentiores autem alieius medicamenti in nonnullis morbis, et sub variis conditionibus exhibiti, usum insecuri sunt effectus, et quo magis his, si circumspecte et apto tempore fuerit illud administratum, egregium pluribus aegrotis allatum est auxilium, aut, si minus opportune sit usurpatum, non raro in peiorum statum conuersum malum fuit, hoc sane diligenter eiusdem est instituendum examen, ut, quae sit princeps atque veluti specifica illius virtus, et quibus aegrotis illud vere conueniat, quibus parum, vel plane non accommodatum esse videatur, quantum quidem fieri possit, clare pateat, sicutque is illi in therapia locus assignetur, quo reuera dignum est inventum.

Omnis autem omnino medicaminis rationalis in morbis administratio innititur et chemica partium illud constituentium cognitione, et accurata, fidaque obseruatione medicae artis professorum, qui in variis morbis eo usi sunt. Iam, cum eiusmodi argumentis haudquaque destituatur sententia, quae de nostrae plantae efficacitate olim lata est, mirari vique debemus, plures nostri aei medicos de viribus illius valde ambigere, imo eiusmodi iudicium super hac re ferre, ex quo eluiscit, eos Gratiolam inter pharmaca numerare, quae tuto in usum trahi nequeant, et a quibus proinde sit abstinentendum. Quo fundamento autem nitatur haec opinio, iam non disquiram, cum de hac re disserendi occasio deinceps se mihi sit praebitura. Etenim proprius ad argumentum, quod tractandum mihi sumsi, accedam, et de botanicis characteribus, partibusque constituentibus stirpis huius, quae adhuc innotuerunt, cum lectoribus communicabo.

§. 1.

Nomen; quo iam veteres medici nostram plantam insignierunt, ortum traxisse suum videtur vel ab insigni virtute, qua pollet, vel, *νατ' ἀριθμοῖσιν*, a sapore, quem, linguae admota et masticata, excitat, qui haud ita gratus et acceptus est¹⁾.

Quo autem tempore ut medicamentum adhiberi ea coepit, botanicisque innotuerit, non constat. Apud **HIPPOTRATUM**, **GALENVM**, **PLINIUM** et **THEOPHRASTVM**, vt ex ipsorum scriptis patet, nulla, aut certe vix vlla eius fit mentio, ideoque his auctoribus plane ignota nostra Gratiola fuisse videtur. **WOLPHIVS**²⁾ quidem eam **Polemonium palustre amarum Hippocratis**, **ANGVILLARA** e contrario **Papauer spumeum Dioscoridis** esse arbitratur, et alii eam cum **Hyssopo veterum**³⁾, aut cum **Eupatorio Mesues** conuenire sunt suspicati⁴⁾. Sed his equidem sententiis haud fidem dare possum, quae non nisi merae conjecturae sint, neque argumentis ad persuadendum idoneis nitantur. Etenim, vt alia vegetabilia, quae a recentioribus commemorantur, in veterum auctorum scriptis sub diuersis, iisque ab iis, quibus

1) **BÜRGEL** diss. de Gratiola. Argent. 1758. p. 4.

2) De stirp. collectione. p. 80.

3) **FAB. COLVMNA** eph. min. cogn. stirp. I. p. 64.

4) Vid. **C. BAVHINI** pinax th. bot. p. 279.

nunc gaudent, valde recentibus nominibus recensentur, sic etiam Gratiolae ab iis, qui olim eius mentionem fecerunt, varia nomina data sunt, inter quae etiam quandoque occurunt, quae aliis plantis fuerunt a quibusdam imposita, ita ut, etiamsi delineationem, quam quidam descriptioni addiderunt, conferas, certus tamen haud queas fieri, de quoniam vegetabili sermo sit⁵⁾. Si v. g. vetustissimos codices, quos THEOPHRASTVS, botanicorum parens, nobis reliquit, peroluamus, nihil plane de nostra Gratiola in iis reperiemus; neque enim nomen hoc in iis occurrit, neque illa planta ab auctore descripta est, quae Gratiolae characteribus gaudeat. Dubium ergo est, an huic claro viro nota ea fuerit, nec ne. Atqui hoc, quod de THEOPHRASTO dixi, de aliis etiam veteris aevi botanicis valet, qui vel plane non, vel saltem haud distincte de nostra stirpe sint locuti. Causa, cur vix certi quicquam super hac re in medium proferri queat, posita est in hoc, quod veteres in naturalium rerum, quas sibi sumserant describendas, recensu ad paucos tantum characteres, et potissimum ad tales, qui facile veniebant in conspectum, aut sapore et odore se probebant, respexerunt, in illisque deinceps in ordinem aliquem redigendis iis solis fuerant usi. Etenim sic aliter fieri haud poterat, quam ut mancae essent eorum de iis relationes, in quibus saepe genera cum formis confusa sint, neque una forma ab alia bene distincta deprehendatur. Accedit, quod illi, qui in veterum botanicorum scripta sunt commentati, recte interpretandis variis sui auctoris locis persaepe plane impares fuerunt, neque raro eos magis obscuros, quam antea fuerant, reddiderunt.

5) C. SPRENGEL. Hist. rei herbar. Tom. I. p. 288 et 466.

Veterum phytographorum primus, qui huius plantae mentionem fecit, et ad medicos usus commendauit, est MATTHIOLVS⁶⁾, qui tamen fatetur, RVEILLIVM GALLVM iam antea de hoc pharmaco locutum esse. Videtur autem illud in Germania, priusquam botanicis innotesceret, ut popularis medicina nota atque contra nonnullos morbos in usum vocata fuisse. Ceterum CONR. GESNERVS et VALER. CORDVS⁷⁾ iidem nostrae stirpis, eiusque ut medicinae admodum usitatae et in vulgus notae, in suis operibus meminerunt, eosque inter primos, qui de ea retulerunt, numerandos esse, DE LA VIGNE fuit sententia⁸⁾. Hoc profecto negari nequit, ante horum, quae nominaui, virorum tempora altum esse in therapeuticis libris de hoc pharmaco silentium, et senioris aevi auctores, ubi eam commemorant, MATTHIOLVM potissimum laudare et fere verbotenus exscribere.

Gratiola ad ordinem naturalem, qui personatas sub se complectitur plantas, pertinet, estque a TOVRNEFORTIO tertiae sui systematis classi inserta, a LINNEO autem ad Diandrias monogynias relata. Retinuit celeberrimus hic naturae scrutator nomen, quo ea antea fuerat insignita, eamque officinalem dixit, et sic a reliquis formis, quae ad idem genus spectant, distinxit. Atque hac in re eum omnes botanici, qui nuper nostrae stirpis mentionem iniecerunt, sunt secuti. Characteres genericos, quibus ea conspicua est, hic yberius recensere, superuacaneum duco, quum ii accurate descripti sint in MART. VAHLII enumerat.

6) Commentar. in DIOSSCORID. Mat. med. a. 1598. p. 121. 123.

7) Ille in histor. pl. p. 86. — hic in hort. German. p. 258.

8) Vid. eius Diss. de Gratiola, Erlang. 1768.

plantar. Vol. I. edit. Havniae 1805. Quod autem ad synonyma, quae apud quosdam botanicos occurruunt, pertinet, eorum nonnulla habet hic addere. Ac primum quidem ab ANGVILLARA Gratia Dei sicut vocata, quo nomine tamen hic illic alia etiam vegetabilia, quae a Gratiola nostra valde differunt, insignita fuisse, ex CAESALPINO, DODONAEO, aliisque patet, qui mox Scutellariae formam aliquam, mox Cistum Helianthemum, Bupleurum rigidum, Geranium pratense, Limnesium etc. sub eodem titulo recensuerunt⁹⁾. Porro Digitalis minima, Gratiola dicta, nuncupatur a TOVRNEFORTIO¹⁰⁾ et BOERHAAVIO¹¹⁾, sed Digitalis characteribus principibus cum plane destituatur, hoc nomen omnino ineptum esse appetet. Ceterum Francogallis Gratiale, Italis Grasieta dicitur, apud Nostrates *Gottesgnadenkraut*, *Purgierkraut* et *Wildaurin* audit.

Plura hac de re existant in CONR. GESNERI Op. botan. part. II. cent. I. p. 64. seqq. et in F. HOFFMANNI diss. de Gratiola, Trai. ad Viadr. 1784.

Planta ipsa a botanophilis hoc fere modo describitur:
Radix perennis, horizontalis, cylindrica, calami mediocris crassitie, subarticulata, articulis tres lineas longis, centro, si transversim secta fuerit, spongioso, circulari, albo; stolonibus aucta.

Caulis herbacei, erecti, teretes, dodrantales aut altiores, glabri, subnudi, ima parte praesertim submersa, purpurascentes, reliqua superiore parte virides, subangulati, creberrimis genicu-

9) Vid. MENZELII index nom. pl. p. 140, et V. CORPI Historia p. 86.

10) Institut. p. 165.

11) Ind. alt. Lugd. Bat. I. pag. 229.

lis distincti, articulis alternatim opposite canaliculatis, intus spongiosi, meditullio inane, simplices aut rarius ramosi. Ex basi latiore foliorum caulem amplexante, caulis subangulosus appetet.

Folia ad genicula alternatim opposita, decussata, amplexicaulia, lanceolata, obtusiuscula, acute serrata, plana, subtrineruia, glabra, internodiis longiora, unciam aut sescunciam longa, et vix ultra quatuor ad quinque lineas lata.

Rami sparsi, oppositi, pauci, ex axillis foliorum erumpentes, interdum nulli.

Flores axillares, solitarii, oppositi vel alterni, pedunculati.

Pedunculi sparsi, axillares, solitarii, interdum oppositi vel alterni, compressi, flexuosi, subangulati, glabri, patentes, filiformes, adiacente folio breuiores, vniiflori.

Bracteae 2, ad basin calycis, vel paullo inferius oppositae, linear-lanceolatae, acutae, integerrimae seu subdenticulatae, glabrae, longitudine calycis vel longiores.

Cal. Perianthium monophyllum in quinque lacinias subulatas profunde partitum, exteriori diphylum, erectum, patens: *laciinis* et foliis linearibus, acutis, erectis, aequalibus. *Cor.* monopetala, irregularis, ringens, striata, dilute purpurea seu alba, raro flava. *Tubus* calyce duplo longior, leuiter deorsum incurvatus, angulatus, intus pubescens, rubro-striatus aut lutescens. *Limbus* 4 partitus: laciinis ovatis: superiore latiori emarginata, reflexa, reliquis rectis, subaequalibus.

Stam. Filamenta 4 petalostemonata, subulata, corolla breviora; quorum duo superiora fertilia, seu totidem antheris subrotundis, bilocularibus, albidis, instructa, duo inferiora sterilia, minuta, effoeta.

Pist. Germen superum conicum, 4 sulcatum, virescens.

Stylus rectus, cylindricus, staminum longitudine. Stygma bilabiatum, cernuum, ouato-rostratum; post foecundationem conniuens.

Pericarpium. Capsula ouata, acuminata, bilocularis, sub-4 valuis.

Sem. plurima oblonga, minuta, granulata, fulia, conceptaculo magno compresso, dissepimento utriusque adnato adhaerentia.

Recte igitur LINNEVS ex ea genus fecit peculiare, gratiolae nomine seruato, cuius primum nostra planta vnicā erat forma, cui vero postea plures aliae, extra Europam crescentes, species accessere.

Icones ad naturam factae praecipue recentiores sunt, quales dederunt BLACKWEL, TREWH cent. 4. tab. 411.; Florae danicae auctor tab. 363. PLENCK in iconib. plantar. medic. tab. 15. ZORN tab. 449. et SCHKVIR tab. 2. Nam antiquiores delineationes, quas nobis MATTHIOLVS, DODONAEVS, TABERNAMONTANVS, CHABRAEI (Stirp. Icon. et sciagraph. p. 475.) RIVINVS in ord. pl. monopetal. tab. 106. et alii superioris aevi scriptores reliquerunt, admodum rudes sunt et fere nullam habent cum nostra stirpe similitudinem. Ceterum locis in quibus libenter vegetat, laeteque crescit Gratiola, sunt viginosi et fontibus irrigui, proinde in pratis humidiusculis, et ad ripas fluviorum, lacuum, paludumque copiose occurrit. Ad Floram Lipsiae indigenam haud perinet, ea namque Gratiolae herba, quae in officinis huius vrbis prostat, in silua Hercynia collecta est. Continetur ideoque patria eius circiter intra gradus 40 et 50 latitudinis. Floret mensibus Julio et Augusto.

Odore gaudet planta nostra vix vlo, sapor eius e contrario admodum insignis est.

Gustata quippe herba amaritiem prodit, et acredinem satis diu linguae inhaerentem, simulque subnauseosa est. Radix eadem amaritiie est conspicua, et linguae adstrictionis sensum imprimit.

Iam, quod ad examen chemicum Gratiolae officinalis, quod cl. VAVVELIN¹²⁾ instituit, attinet, breuiter eius mentionem faciam, partesque varias, quae eius mixtionem constituunt, recensebo. Et herbae quidem concisae vnciae duas dedere extracti gunimōsi drachmas quinque cum dimidia, resinosi autem grana quinquaginta. Praeterea etiam aliquid natri muriatici, kah item aērati et malici et principii adstringentis in planta est inuentum, quae tamen substantiae simul sumtae non nisi sesquidrachmam ponderarunt¹³⁾. Residua ab extractione aquosa et spirituosa herbae portio denuo cum ardente, eoque rectificato spiritu digesta, extracti resinosi secundi sicci scrupulos duos cum semisse largita est. Extracta haec peramara et nauseosa esse, cum VAVVELINO omnes fere contendunt chemici, qui iis præparandis adlibuerunt operam. Succus, quem recens planta prelo commissa præbet, parum tinctus est, isque, si leni calore fuerit ad extracti consistentiam vsque euaporatus, in spiritu vini alcoholisato partim dissolubilis est, partim sub mucilaginis aut gummatis forma in fundo vasis, in quo solutionem suscepimus, remanet. Ceterum solutio haec spirituosa amaritiie et acredine insigni est conspicua; mucilaginosa pars odore prorsus destituitur.

12) Annal. de Chimie. Tom. 72. p. 142. et Annal. de la Société de Montpellier, Tom. XX. p. 333.

13) BOULDE in Mém. de l' Academie des sciences. p. 189.

Efficax illud Gratiolae principium, quod affinitate magna erga spiritum vini gaudet, ex materia saponacea et resinosa acri, quae intime inter se mixta sunt, constat. Aqua illud itidem haudquaquam respuit, sed potius, modo fuerit ad ducentesimum et duodecimum thermometri Fahrenheitiani gradum usque calefacta, ac sufficienti in quantitate illi affusa, egregie resolvit, id quod immixtis ei salibus neutrius indolis, potissimum natro muriatico et Kali malico, videtur gratum habendum esse. Ceterum cum hac materie, quae substantia resinoides a VAVQVELINO dicta est, aliquid collae et resinae viridescentis coloris conjunctum esse, residuum autem, quod planta post repetitas cum aqua et alcohole digestiones relinquit, et calcem oxalicam, et ferrum phosphoricum exhibuisse, experientia docuit.

§. 7.

Ex iis, quae hucusque de constituentibus herbae gratiolae partibus diximus, facile intelligitur, eam inter admodum efficacia pharmaca numerandam esse, a qua in gravibus quibusdam morbis multum utilitatis possit expectari, si modo rite administretur. Et profecto clinicae observationes, quae a quibusdam medicis cum ea institutae sunt, hoc iudicium egregie confirmant. Caute tamen in ea propinanda versandum est; namque aliquando diarrhoea profusa et diu durans atque vomitus a paulo majori eius dosi fuit productus, quae symptomata non nisi aptorum quorundam medicaminum usu sedari potuerunt. Convenit ergo eatenus cum aliis efficacitate insigni praeditis pharmacis purgantibus nostra planta, atque in ea administranda non minus, quam in horum usu therapeutico, seruandum modum esse facile patet.

Ad morbos, quibus curandis accommodata ea est, quod attinet, expectari in primis in mania et melancholia egregii effectus ab ea

possunt, quibus aegritudinibus sanandis profecto tanto aptior est censenda, quanto frequentius eiusmodi aegrotorum viscera abdominalia, eorumque nervi normali tono destituti innenuntur. Neque tamen his tantum malis e medio tollendis idonea haec medicina est, quae etiam contra alias morborum formas¹⁴⁾, praesertim a veteribus, magno aegrotantium commodo, sit in usum vocata. Equidem hic neque in viribus variis, quae illi adscriptae sunt, neque in observationibus clinicis, de quibus hic illic relatum est, recensendis longus esse volo, quum alii clari viri id in se suscepserint negotii, ut, quae circa hanc rem adhuc innotuissent, studiose colligerent, et in ordinem redigerent. Laudandus hic potissimum est IACOBVS KOSTRZEWSKY, qui in sua de Gratiola dissertatione fere omnes omnis aeui scriptores, qui de nostra planta egerunt, studiose enumeravit, eorumque super eius therapeutico usu placita commemoravit. Neque vero solum compilatoris munere functus est hic auctor, qui etiam propria tentamina cum hoc pharmaco facta enarraverit, et illud potissimum contra maniam atque melancholiā, cum magno aegrotorum quorundam emolumento, in usum vocatum fuisse retulerit. Quippe STOERKIVS illud in his morbis adhibuit, eoque tribus eiusmodi aegrotis, quorum malum aliis, iisque efficacissimis medicamentis ne leniri quidem potuerat, perfectam sanitatem reddidit. Ceterum LENTI-

¹⁴⁾ In variis morbis, qui drasticis medicamentis, ad quae relata a nonnullis medicis Gratiola est, opus habent, ea in usum potest vocari. Sed in quibusdam malis, contra quae nonnulli eam commendarunt, non purgandi vnicē facultate, sed et resoluendi vi, maxime vero antagonistico, vt dicunt, modo, in torpidorum viscerum abdominalium nervos ac vasa egisse, et sic aegrotis quam plurimis auxilium attulisse, arbitror. Cf. W. A. HAASE chron. Krankheiten. Lips. 1817. T. II. p. 511.

NVS¹⁵⁾, etiam BYCHOLZIVS¹⁶⁾, FISCHERVS¹⁷⁾ atque SELIGIVS¹⁸⁾, nostram plantam aliquoties nonnullis aegris commendarunt, et effectus, qui eius administrationem sunt insecuri, cum lectoribus suis communicarunt. Iam vero, ut ne horum clarissimorum viorum auctoritate sola uti velle videar, ad argumentum, quod tractandum mihi sumsi, illustrandum addam experimenta, quae nuperime sub Ill. CLARI auspiciis in divi Iacobi nosocomio cum Gratiola instituta sunt, quae, cum admodum felicem habuerint exitum, haud indigna videntur esse, quae breuiter, strictimque recenseantur.

§. 8.

Propinata autem est Gratiola aegrotis variis ab his, qui eam in usum duxerunt, non semper sub eadem forma; quippe alii herba in pulverem conversa, alii infuso, aut decocto foliorum eius aquoso, alii extracto gummoso ex iis confecto, usi sunt. Quam ob rem, ut experiremur, quis administrandae nostrae medicinae modus sit praestantissimus, palmarumque aliis praeripiatis, quaedam eius praeparata elegimus et in usum vocavimus, quo melius iudicium super iis ferre possemus. Et observatio quidem docuit, herbam ipsam nuper collectam, lenissimo calore exsiccatam et sub pulveris forma adhibitam aegrotis quibusdam egregium auxilium tulisse, malumque, quo illi laborabant, mox eo mitigatum et tandem penitus sublatum fuisse; proinde haec forma potissimum commendanda est. Infusum aquosum cum

15) Beitr. zur ausüb. Arzneyw. T. II. p. 155.

16) Beitr. z. gerichtl. Arzneygel. IV. p. 77. id. in HVERELANDS Journ. T. II. p. 142 sqq.

17) Versuch einer Anleit. z. med. Armenprax. Gott. 799. p. 372.

18) Altenburg. med. Annal. 1811. Mai. p. 427.

frigidum, tum calidum, parum efficax dicitur, decoctum autem ex drachmis duabus herbae et vnciis duodecim aquae factum¹⁹⁾ sic, ut colaturaе unciae octo superessent, et sapore, coloreque saturationi, et virtutibus medicatis magis conspicuum esse, animadversum est, cuius loco etiam, in casibus, vbi vinum non est contraindicatum, vinosum infusum potest usurpari²⁰⁾. Ceterum extractum gummosum rite praeparatum laudem itidem videtur mereri, quo nos aliquoties cum insigni fructu vsi simus. An lac, quod a nonnullis medicis ad gratiolae infusum conficiendum adhibitum est²¹⁾, dissoluendis efficacibus eius partibus accommodatum sit, dubito, cum aqua, ob quam hoc menstruum vnicie in nostram plantam actionem exserere posse videtur, iam reliquis lactis partibus sit saturata, quare illud non nisi in rarioribus casibus in usum vocandum censuerim. —

De administratione enematum ex gratiola confectorum nihil habeo, quod addam, quum eorum adhibendorum occasio mihi adhuc plane defuerit.

§. 9.

Iam historias morborum, in quibus Gratiola efficaciam insiginem exseruit, breuiter enarrabo. Iuuenis vegetus, annum vigesimum quartum circiter agens, cum variis animi affectibus hucusque commotus fuisse, anno praeterito mense Nouembri in melanochliam, et paulo post in maniam, incidit. Putabat, viribus variis sibi a numine diuino impertitis se excellere, iis alios homines val-

19) F. G. VOIGTELS Arzneimittellehre, herausgeg. v. D. C. G. KÜHN, Lips. 1817. T. II. p. 82.

20) I. A. MURRAY Apparat. medic. edit. altera, curante L. C. Althof. Vol. II. p. 282.

21) Conf. Arzneischatz od. Samml. gewählt. Recept. a. d. Engl. Leipzig. 1810. p. 92.

de superare, et propterea se aptum, immo adeo destinatum, esse, qui aliis, etiam in negotiis gerendis, a quibus ipse hactenus plane alienus fuit, consilia et praecepta dare posset. Versabatur ille per aliquod temporis interuallum in hoc statu, et quandoque adeo vehementi agebatur furore, ut puluaria, vestimenta et obuia quaeque, nisi catenis vinctus fuisset, laceraret. Praeterea vexabatur deliriis, quae, etsi subinde paulisper remittebant, tamen nullam habebant veram intermissionem. In manibus eius cernebantur vulnera, quae ipse, in omnia adlidens obstacula, sibi met intulerat; manus, pedes, et totum fere corpus miris gestibus semper torquebat, neque unquam quiete fruebatur placida. Mens ipsius continuo innumeris cogitationibus vanis, falsisque perturbabatur.

Aegroti huius status, cum iam ex longiori tempore animi perturbationis symptomata quaedam protulisset, ante quatuordecim fere dies melancholiae attonitae similis fuit, et cogitationes de viribus fictis et ad certum quandam finem directis, quibus se praeditum iudicauit, indies ipsi obuersabantur et sensim sensimque augmentum capiebant. Quum ad nosocomium deportatus esset, primo quidem intuitu satis tranquillus esse videbatur, aspectus tamen perturbationem et irritationem cerebri, neruosi que systematis ostendebat. Splendebat quippe oculi, facies erat collapsa et colore flauescente conspicua; aliud inde ab aliquo tempore obstrueta, appetitus tamen bonus, neque ullo modo depravatus fuit; pulsum inueniebamus acceleratum, et vocem, ob continuos clamores, quos ediderat aeger, raucam. Ceterum vinculis aliquantum solutis liber extra lectum obambulauit. Clyisma acre, quod hic quam maxime erat indicatum, in usum vocari hand poterat, quippe aeger omni vi couaminibus hoc consilio susceptis renitebatur. Quum iam per plures dies duo sina-

pismi plantis pedum impositi fuissent, neque tamen vllum inde in aegrum redundasset emolumentum, puluerem herbae Gratiolae ipsi praescripsimus, sic vt omni tertia hora octo eius grana assumeret. Phaenomena, quae obseruaui, secundum diarium deinceps enarrabo. Ceterum quotidie pluries aegrum nostrum conueni, et cunctas, quae locum babebant, mutationes sedulo annotau. i.

Die prima Decembri anni praeteriti aeger inquietissimus, nec mentis compos, erat; delirauerat fere sine vlla intermissione iam per viginti quatuor horas, atque in hoc statu etiam proxima die versatus est; omnia vestimenta lacerare conabatur; sommus, qui bis vel ter intra has quadraginta octo horas ad eum redire velle videbatur, interrumpebatur rursus sic, vt eo frui plane non posset; pulsus subito celer siebat et minus durus, lingua autem erat obducta. Pergebamus in administrando gratiolae puluere ea, qua supra dictum est, dosi. Die secunda et tertia continua- bat fere semper atrox delirium, vox admodum rauca, pulsus parvus et alteratus erat; adpetitum tempore prandii nullum, at- tamen aliquod horis post bonum sentiebat aeger, lingua etiam nunc albicans fuit. Affusionibus aquae frigidae adhibitis valde augebatur paroxysmus et furor multum incresceret. Medicamenti, quod antecedentibus diebus fuit praescriptum, vsus con- tinuabatur. Die quarta in eodem statu, quem modo descripsi, versabatur aegrotus.

Die quinta ne minimam quidem obseruabam mutationem; saepius, vt die praegresso, furore agitabatur aegrotus; delirio timor, ne veneno interficeretur, accessit. Noctu hoc ipsum delirium persistit, et sensim magnum in modum crevit, id quod etiam die insequenti habuit locum. Cum puluerem Gratiolae saepius exspusisset aeger, victus ipsi denegatus est, vsque dum

pulueres tempore et dosi praescripta adsumsisset; sic fine nostrō rite sumus potiti; nam tempore constituto doses pulueris deglutivit. In capite tinea, et in corpore furunculi in conspectum veniebant, quam ob rem affusio aquae frigidae haud fuit reiterata. Die sexta, habito ad aegri symptomata respectu, nulla animaduersa est mutatio.

Ingruente diei septimae aurora, omnia symptomata exacerbabantur et in peius vergebant; delirium erat fortius et inquietudo maxima. Gratiolae vsus continuabatur, dosi vsque ad ~~h~~ adaueta. Clysmate circa vespertinum tempus injecto, alius soluta est, quae hactenus obstructa fuit.

Die octaua et nona parum dormiuit aegrotus, circa eadem tamen obiecta solito more, quamquam minori cum anxietate, deliravit. Ceterum perstitit morosus.

Ob priapismum, qui his diebus obseruabatur, Camphorae granum dimidium pulueri Gratiolae admixtum fuit.

Die decima et sequenti mens aegri nostri pacatior, corporis que satis compos erat, attamen circa solita interdum deliravit obiecta, neque ab ideis phantasticis plane fuit liber; admonitus vero facilius, quam nudius tertius, destitit. Bene ad quaesita respondit, neque amplius ita est gesticulatus; vocem non rauacam habuit, pulsusque naturali prorsus fuit similis. Ceterum de fame conquerebatur; alius denuo soluta pultacea, flaua, duris hinc inde scybalis mixta erat.

Die decima tertia animi tranquillitas fere rediisse videbatur; quippe de omnibus rebus, quae ipsi occurrebat, aut quorum mentio in colloquio cum eo instituto erat facta, recte iudicabat et ratiocinabatur; pulsus item, lingua, somnus, adpetitus, ceterum in statum normalem rursus redierant. Sedibus hac die admodum frequentibus multae faeces excrenebantur. Sentiebat aegro-

tus post gratiolae pulueriastæ usum termina. quod symptoma
haud dubie reactionis neruorum abdominalium signum erat.

Die decima quarta et quinta satis bene videbatur iuuenis,
tranquillus quippe erat, ad quaestiones ipsi propositas recte re-
spondebat, et obiecta, quae occurrerant, apte diiudicabat, quare
ad cubile reconualecentium translatus est, in eoque usquead finem
Januarii anni currentis detentus; quietus fuit hic et hilaris, ne-
que ullum maniae signum in conspectum venit. Iam diebus
praecedentibus victus laetior ei concessus fuerat. Tandem, cum
continuatus adhuc fuisset per aliquod tempus pulueris herbae
gratiolae usus, indies magis, magisque pacatus est aeger, sani-
tatiique perfectae sic restitutus, ut, sex hebdomadibus elapsis,
nosocomio valediceret.

Ultimis ante discessum ex nosocomio diebus aliquot doses
pilularum, quae ex aequalibus partibus Radicis Rhabarbari opti-
mi, Gummatis Ammoniaci electi, Saponis medicati et Extracti
Hellebori nigri erant compositae, assumere iuuenem nostrum
iussimus, quarum usus ipsi fuit admodum proficuus.

§. 10.

Salutarem eiusmodi effectum, qualem a Gratiolae interno
usu expertus est iuuenis, de quo modo retuli, obseruare mihi
etiam licuit in duobus aliis vesaniae casibus, qui nobis in noso-
dochio nuper obuenerunt; quare hic eorum paucis adhuc men-
tionem iniiciendam esse censeo. Ac primus quidem concernit
typographum, qui ex causa haud satis nota, fortassis ex animi
pathemate, in melancholiam inciderat, et cui, restituendae va-
letudinis secundae ergo, extractum nostrae plantae gummosum
fuerat propinatum. Aegrotus hic, cum satis diu hanc medicinam
assumisset, a morbo illo feliciter est liberatus, neque tamen sic
restitutus, ut perfecte sanatus dici posset, quippe ad dextrum bra-

chii neroos videbatur aliquid morbosae materiei, si qua fuerit, delatum esse, qua effectum fuit, vt hoc membrum paralysi tandem geretur, quae tamen affectio electricitatis per aliquot temporis interiuallum administratiae vi tandem est fugata.

§. 11.

Eodem fere tempore, quo haec facta est obseruatio, aliud maniacum curandum suscepimus. Erat is vir circiter quadragenarius, qui lorarii munus in cursu publico gerebat, quemque ex mentis pathematiibus variis animi morbus inuaserat. Datuus fuit huic aegro herbae gratiolae puluis, et solius huius medicaminis auxilio integerrima sanitas ipsi intra septimanarum quartuor spatium est redditia.

Atqui haec clinica tentamina satis superque evincunt, nostram plantam insigni virtute medica pollere, eamque propterea laudem mereri maximam. Ut autem eius usum plus vna vice felix est comitatus successus, tantum tamen abest, vt hoc pharmacum omnibus vesaniarum formis sanandis accommodatum esse contendam, vt illud in quibusdam casibus, qui hue pertinent, parum, vel omnino nihil fructus afferre posse iudicem. Etenim cum remotae, tum proximae huiusmodi aegritudinum causae admodum variant, et pro hac diuersitate varia medendi utendum est methodo, si eas e medio tollere, et perfectam sanitatem restituere velimus, quemadmodum nos obseruationes **PERFECTI**, **CHIARVGI**, **ARNHOLDI**, **REILII**, **HEINROTHI**, aliorumque clarorum virorum docent.

§. 12.

His, quae de Gratiolae in mentis quibusdam morbis virtutibus dixi, coronidis libello imponendae causa annexam quaedam alia obseruata, quae nuper ab Experientissimo **KUHLIO** cum hoc

pharmaco facta sunt, quaeque latum a FISCHERO²²⁾, HARGEN-
SIO²³⁾, WENDTIO²⁴⁾, ZOBELIO²⁵⁾, aliisque de efficacitate eius
in quibusdam aliis corporis humani affectibus indicium egregie
confirmant. Expertus quippe est Clar. Praeceptor, extractum
Gratiolae interne propinatum valere multum ad vlcera varicosa,
sordida, inueterata et rebellia, phagadaenica crurum praesertim,
sananda et radicitus extirpanda; etenim, si cum eius vsu simul
localia medicamina, veluti emplastra circularia, administra-
bantur, membrumque aegri affectum in horizontali situ detine-
batur, et aptum diaetae regimen in auxilium vocabatur, aliquo-
ties perfecte sanata fuere eiusmodi mala quae haudquaquam vt
mere topica esse consideranda quisque mecum fatebitur. Et
saepe quidem satis cito usum medicinae insecutus est felix hic
eventus; namque quidam aegri statim primis post incepitam hanc
medicationem hebdomadibus fructum insignem inde percepe-
runt, et sensim, sensimque vlcera minora reddit, tandemque
eorum labia penitus conglutinata fuisse animaduerterunt. Huc
imprimis spectat casus, in nosocomio obseruatus, virginis quadra-
genariae, vlceribus varicosis in vtroque pede ex viginti annis,
contra quaevis alia auxilia rebellibus, laborantis, extracto autem
gratiolae feliciter sanatae, licet exigua modo doses ferret citra
vomitionem²⁶⁾.

Quemadmodum autem in his aegritudinibus bene cesserunt
tentamina cum gratiola instituta, sic etiam contra quosdam chro-
nicos cutis morbos, praesertim scabiem, vtilis et fructuosa in-

22) LODER Journ. f. d. Chirurg. T. 1. St. IV. p. 560.

23) HVFFELAND Journ. T. 1. p. 71. et T. IX. p. 174.

24) Nachr. v. d. Krankeninst. z. Erlang. St. V et VI.

25) Diss. de Gratiola eiusque vsu praesertim chirurgico, Erlang. 1796.

26) Conf. Journ. d. Erfind. Vol. I. P. 2. p. 113.

venta haec medicina est. Illustris CLARUS adhibere eam scammonio nuptam nuper iussit in tali malo, quod intueratum erat et vel optimis pharmacis pertinaciter obstiterat, atque mox exanthema eualescere, cutisque naturalem formam redire videntur. Similem euentum locum etiam habuisse in aliis huius indolis casibus obseruatio docuit. Ceterum quo diutius durant cutanei habitus morbi, hoc pertinaciores eos fieri et omnem fere medicaminum, saltem leniorum, vim eludere assolent, quare coacti saepe sunt artis magistri, in ejusmodi statu ad efficaciora pharmaca configere. In gratiola autem habemus medicinam, quae salutem talibus aegrotis promittit; neque enim ullum mihi est dubium, quin aequem felicem successum habitura sint experimenta deinceps cum illa instituenda, qualiter illi praceptor saepe saepius obseruavit, quippe qui eius opere fere omnibus scabiosis, quorum curam in se susceperebat, sanitatem reddidit.

Quoniamq[ue] in aliis medicamentis, si quis invenire possit, non
convenienter cum distinguisceatur, sic etiam coniuncta ducendis est
curia eius modis, praesertim secundum, alii et frumentos in
cibus suis habentes, praeferuntur.

20) 1. ap[er]ta Journ. E. g. Gippele. T. r. 22. p. 360.

21) HALLERI Journ. T. r. 2. p. 1. T. IX. p. 124.

22) 1. ap[er]ta. 2. g. Thunbergi. 3. Dillig. 22. V. et AL

23) Diese Geissnia siinde leuissimum stimulans Hisp. 1706.

24) 1. ap[er]ta. 2. g. Thunbergi. 3. Dillig. 22. V. et AL

UB Wien



+AM505825405